

38. *An quis rogatus, ut sit susceptor, illud recusare possit?*

Resp. Neg. 1. Quia hoc cedit in contemptum Sacramenti & Dei, qui illud pro lavacro regenerationis instituit. 2. Requirit hoc vinculum fidei, & charitatis, quæ est officiosa & benigna, 1. Cor. 13, 4. 3. Læditur honestas publica, quia fidei socium in re pia deserimus. 4. Proximus repulsam ferens offenditur, & apud alios in suspicionem vitii trahitur. 5. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Obj. 1. Atqui si infans non est legitimo thoro natus. Resp. (1.) Non debet parentum culpam præstare. (2.) Quod si hoc te offendit, & putas decedere quicquam existimationi tuæ, per alium illud, quod rogatus es, præsta, dummodo misero in re tam pia non videaris deesse. Vide præcedentem Casum. 2. Atqui inimicus est, qui hoc officium rogat. Resp. Gaude, quod reconciliationis occasionem accipias, quam quilibet piorum summo studio quærere debet.

IN LOCO

DE SACRA COENA.

THEOREMATA.

1. **E**tymologia *Cœnæ* est, quod dicatur à cœnando, quia institutum est hoc epulum nocte ea, qua traditus est Christus, post cœnam vulgarem. *Dominica* dicitur, quia Christum habet autorem, & quia ut plurimum diebus Dominicis in Ecclesia Apostolica celebrari consuevit, Act. 20, 7.

2. Homonymia est, quod in genere significet usum ciborum vespertinum, unde & vulgaribus epulis tribuitur nomen Cœnæ; tum in specie administrationem secundi Sacramenti in Novo Testam. quæ significatio hoc loco propria est.

3. Synonyma Græca sunt 1. *Ἐχαριστία*, quia hic cibus cum gratiarum actione usurpari debet, 1. Cor. 11, 26. 2. *Μυστήριον*, idque ob admirabilem & planè stupendam panis & corporis Dominici, vini & sanguinis Salvatoris, in hoc Sacramento conjunctionem. 3. *Λειτουργία* & *ιερευσία*, quæ ministerii sacri non postrema pars est, voce sumpta ex Job. 13, 2. Rom. 15, 16. 1. Cor. 4, 1. 12. Phil. 2, 25. 4. *Θυσία* Sacrificium, hostia, oblatio, holocaustum; idque quia participamus de isto corpore, quod pro nobis in ara crucis in victimam seu sacrificium oblatum est, Luc. 22, 19. Latina verò potiora sunt: 1. Mensa Domini,

A a a a

mini,